Antonius

Soc. Iesu Collegii Orbis Poloniarum in meta unicorni,

ORBIS POLONIARUM IN META UNICORNI

ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
Domini Domini

ALEXANDRI ANTONII
FREDRO

REGNI SECRETARII
TRIBUNALIS POLONI
PRÆSIDENTIS
MEDERECENSIS & GOLABIENSIS
PRÆPOSITI &c.

POSITUS

Et in ejuſdem Illuſtriſſima domo
ORBI INTEGRO
DEMONSTRATUS

A Petricovienſi Soc: JESU Collegio

Anno 1714.

CALISSII Typis Collegij Societatis JESU.

m.

Toto ſimul utimur Orbe *Luc: 17.*

Non animo ſatis Orbis unus. *Sarbievius*

Totum vulgata per Orbem ſtant documenta Domus, *Silius*

Nomen toto ſparget in Orbe ſuum
Mart: 16.

Vivit totũm, quæ gloria compleat Orbem *Ovidius.*

ILLUSTRISSIME
EXCELLENTISSIME
REVERENDISSIME
DOMINE.

AB Orbe, dum à Tuo, id est ALEXANDRI, Nomine, Tua ordior encomia. In ea enim Majorũ Tuorum Ceris influis fastigia, qubus Orbis quoq; theatrum est, non terminus. Octavum jam volvi pridem cæpit sæculum, exquo Illustrissima Domus Tua, primis Poloniarum decorata titulis, adeò ingens Orbi Lechico dedit incrementum, ut non tam amplecti Poloniam, quam complecti videretur. Prima ortus FREDRORUM cunabula inter Romæ veteris decora mundus cênsuit, ne latius Romanum procurreret imperium, quam Tui nominis cunæ se porrigerent, aut tunc jam Orbis Caput regnare cæpisset, dum FREDRI non cæpissent. Postquam lucem simul aspexistis & imperium, ivêre togata, vel prout temporum ferebat tempestas, sago cincta sæcula, quibus tot virtutum dedistis exempla, ut æternitatem antevertere censeremini. In arena Martis primũ fortitudinis Vestræ hæsit rudimentũ, ubi nunquam ampliori terras arctavistis dominio, quam ubi angustum belli alea locum, objecerat. Pugnæ campus, mundus erat, & præmium: nam cum orbe & pro orbe confligere, Romanorum olim erat ac FREDRORUM. Quotquot laureas Carthaginenses, Africanæ, Macedonicæ acies collegerant, FREDRORUM domi

Origo Illustrissimæ Domus in Italia

Fortuna

Fortuna reposuit; hinc si Fabiorum Scipionumq; trophæa, novus scriptorum labor excutit, nomen Vestrum consulat necesse est. Nec me assentandi rapit studium, dum à Tuis Illustrissime & Reverendissime Poloni Areopagi PRÆSIDENS, *devia encomiis, in summorum Nominum magnitudinem impegit Oratio, mutavit Nomina Domus Vestra, quasi vel ipsa natura dicendi laboraret inopia, ubi tot Heroum trophæa, tot dignitatum compendia uno absolvi deberent vocabulo, vel ipsa Nomina insolitus quidam ardor committeret, ut se componerent in pompam, digererent in ordinem,* FREDRORUMq; *venturo Nomini Majestuoso quodam apparatu prælucerent. Sub* Illustrissimorum MIERZBONUM *Nomine non unum tulit sæculum, non unam Domus hæc vicit ætatem, tandem* 994 *currente anno, per* CLEMENTEM MIERZBONEM, *Crusviciensi Infula sublimem, Poloniæ aris magis quam finibus illata, prius à tota, quanta quanta est Sarmatia coli meruit, quam illam incoleret. Scimus à multis lustrari regna, non illustrari, & longis viarum erroribus in eam sortem circumagi capita, ut tandem humeros purpurâ componant. Tu vero Poloniarum* CHRYSOSTOME, *Crusviciensis Infulæ gemma, Præsul meritissime, non jam humeros purpuræ, sed humeros & purpuram Poloniæ porrexisti. Stupuit orthodoxa Polonia purpuram te Orbis attulisse, ut Leebiæ acciperes, scilicet mutare poteras Fasces non accipere, & ita titulis decedere ut accederes. Vilis scilicet Tibi visa purpura, quam sudore non tingeres, nec Infula satis fronte eminet quæ regnorum saluti non imminet. Opposuit olim Italia Ægidium Tyrannis, Hussitis Ioannem Bohemia, Aquitania Gerardum Anglis, Germania Huldricum Hungaris, Dania Absalonem Slavis, Polonia opposuit* MIERZBONEM *non jam hominibus sed Diis, qui in ipso Apostolici laboris limine, Niam Liadam Iessam & alia ridendorum Numinum portenta suis incinerata aris, cælo immolavit, & exustis idolorum fanis, novam orthodoxæ Religioni accendit auroram. Brevi universam Poloniam fidei effecerat Coloniam; eo enim omnes defixerat curas, verterat desideria ut in feracissimo liberæ gentis solo suam quoq; Religio culturam acciperet. Ad hæc primus ille Vnicornis insigne Polonis inseruit Ceris, quibus illuxerunt illico aræ, arserunt fana, extincti errores, exusta idola Tuo* Illustrissime & Reverendissime Domine *Sangvini facem præferunt ad fastigia. Ad pedes decidit quod superstitiosa altaribus imposuit antiquitas; ut constaret eam Te à Tuis Majoribus lucem trahere quam accensi alant Dij; eam ducere originem, quæ Deos gentium*

Sub Benedicto 7mo.

tium censeat suppedaneos. *Pari gloriæ passu sub* MIECISLAO, *gloriæ decurrit Olimpia* CLEMENTIS *frater, hic in Masovia stemmatis sui nomen pago quoq; commune fecit, non quod vulgaribus quoq; misceret Ceras nominibus, sed quod Orbem illæ cùm implerent, in villarum quoq; angustias sua illas cogeret immensitas, Nominum tamen inibi cultura major effloruit, quam agrorum.* BONIECCII a Boncza *hæredes dicti, inferaci illo Heroum solo, Tuorum* Illustrissime Domine *Majorum seriem extenderunt. Quamquam majores se Tuos non crederent, nisi Eos aræ attollerent, gemini itaq; fratres sacris simul initiati & fascibus, Cracoviensi Canonicatu Patricii Sangvinis purpuras consecrarunt. Mitto* IOANNEM *Valachiæ Episcopum, mitto innumeros, quos e vario honorum fastigio sua altaribus admovit pietas, facilius illos ad purpuras revocat antiquitas, quam ad Numerum. Clarius omnes è Tuo leguntur vultu quam ex Apellis tabulis aut Protogenis lineamentis nosci possent: ita enim in singulorum facta sæculis prædicando ausu immigrasti, ut illi Tibi virtutum exempla, Tu decora suffecisse videaris. Sed non iis Te tantum laudibus Majores Tui consecrant, quas, ut tantum, quantus es,* ALEXANDRUM *celebrent; è templorum eruunt monumentis, surgunt laureata encomia è bustis Heroum, quibus non tam sepulchralia incubant marmora, quam trophæa.* DOBIESLAUS *ille* CASIMIRI Magni Poloniarum Regis *Scipio, fulcit & attollit Scipione suo laureis grave, meritis onustum Nomen Tuum, primus ille hoste, vi ad pacis jura adacto, & simili* FREDRORUM *Nomini vocabulo, vitæ libertatem petente,* FREDRORUM *Nomini ferro iter aperuit, primus induit, quod attolleret fastigia, ornaret trophæa, inauraret facta, impleret elogia. Nummis Darius, ædificiis Trajanus, turribus Babilonii, cedro & arboribus alii sua Nomina commiserunt, quasi affigi simul deberent si præfigi: nec satis immortalitatis secura ducerentur, nisi arborum, lapidum, Turrium præsidio firmarentur. Vestrum* Illustrissima *Poloni Orbis decora, Nomen, (uno omnium Curules, purpuras, solia, adoro elogio) ferreus, sæculorum memoriæ inscripsit stylus, ut quæ* FREDROS *olim legeret posteritas, victoria legeret coronatos. Inscribunt etiamnum non tam foliis quam laureis æternatura facta Vestra Oratorum calami, quos ita triumphali ferro acuitis in encomia; ut ingenia simul meritorum magnitudine obtundatis. Explicare satis non valent Historicorum volumina, invictam Tuam,* Illustrissime IOANNES à NIŻNOW FREDRO, *Russiæ Palatine, fortitudinem, qui laureis decorus, trophæis grandævus, ut tandem*

Aut Franc. Gianka

Aut Bart. Paprocki.

Fati

Fati jura persolveres Valachiæ finibus, integrîs te infuderas exercitibûs, vel quod fatis cedere intra viscera Poloniæ nescires, vel quod mortalitatis vincula rumpere, nisi hosti inijceres, non posses. Olbrichti Regis Cyneas primo in Moldaviam ad Stephanum, tum Hectorea in Soczaviensibus campis & sylvis Polonæ virtutis plantasti trophæa, ut Tibi quoq; arbor omnis laurus fieret. Dedisti Polonæ libertati intra ipsa vulnera locum, quem & hostis fraudes, & sylvarum prærupta interceperant: deniq; multis in acie telis confectus, in ipsa Regni viscera mortem distulisti, ne quis posset ambigere, cessisse te fatis non hosti, nec cadere potuisse, quin Patriam protegeres, vel busto Tuo futurus vallum Poloniæ. Eadem te circumstat gloria Illustrissime FRANCISCE FREDRO, *vivis inter cineres quoq; scythiæ metuendus, quam Lubaczoviensibus agris infusam, exigua tuorum manu fudisti. Didicere immanes illæ Harpiæ, in jugulum Tartariæ* FREDROS *descendere, si in bellum, postquam ense Tuo intra sua occumbens tentoria Daulerus palam fecit, non licere hosti pedem efferre, quoties* FREDRO *manus conferre decreverit. Tument adhuc Cecorensia busta* PETRI & STANISLAI *superba exuviis, quæ non tam hausta cæsorum attollunt cadavera, quam authoris magnitudo. Meminere Campi Prussiæ laurearum quam messiū feraciores, quantis cæsorū hostiū manipulis* IOANNES FREDRO *Premisliensis Iudex Polonæ trophæa cumulavit. Tesli, Treslini, Chocimenses, Ukrainenses, adoreæ, hac decerptæ manu, Iudex ille prius quam victor, decreta tulit quàm decerneret, non Fortunæ arbitrio victoriam, sed Themidis lance ponderans, jus hosti dicebat dum bellū. Aliorum triumphos ad calculū reducere, excedit pennas & ingenia; totidem* FREDRIS *trophæa, quot Orbi Lechico pugnæ, vel si successum certaminis maturius fatum anteverterat, non tam corruerant, quam seipsos grande hostili terræ telum infixerant. Horum omnium tumulis Tua* Illustrissime & Reverendissime Domine *surgit gloria: galea frontem attollunt quicunq; Tui majores, ferro clari, qui tuo sanguine: vexatam tumultuario Marte pacem, vulneribus in integrum reponunt, & vel ipsa bellorum dispendia Tuæ faciunt fortunæ militare. Sed forsitan dedignaris hanc laudem, quæ plus fundit sanguinis quam acuminis, in Tuis censes, quas non horrentia pila, non stridentia Martis tonitrua, non crudus supercilio furor ingerit, sed Tuis concolor moribus clementia, mitiori induit charactere. Ad purpuras igitur à Sanguine pennam transfero, quamquam coævam Domui Tuæ purpuram difficile in paginam deducere, quæ non Heroicæ virtu-*

tis tin-

Aut Kurosweccius Episcopus Vratislav:

obiit Leop:

tis tincturam biberit: totidem quævis fili innexa, quot hosti vincula injecistis. Diffluunt in sudorem quoties solvuntur in laborem ingenia, ut quos suo fortuna Domi vestræ involvit murice, acutis explicent encomiis. Vnus sed agminis instar ANDREAS FREDRO Castellanus Haliciensis, Sniatynensis Præfectus, *Iagielonis Achilles, exhausit factis elogia, vicit meritis præmia, utpote cui pronius erat invicta Patriæ maturare consilia, quam pericula nascerentur. Horrebant vel ipsa discrimina, quoties* IOANNES FREDRO Russiæ Palatinus, *clava æquè ac ense disertus detonabat. Galeatis* ANDREÆ FREDRO, Castellani *primo* Camenecẽsis *tum* Palatini Podoliæ, *consiliis, suos* Serenissimus IOANNES OLBRICHTUS *referebat successus, superata debebat pericula, postquàm novem Scytharum millibus cæsis, mutilatis innumeris, in eam sortem Poloniam asseruit, quam hostis horreret, Orbis coleret. Quanta vero toto circumfert oriente gloria* LAURENTIUM FREDRO, *qui ad Baiazetem Turcarum Imperatorem Legatus, Fabricium pro Latio, Mercurium pro Iove vicit perorantem. Exhorruit terror ille orbis Polonum Cyneam, ubi non fractâ ad lenocinia voce, non fronte ad timorẽ compositâ, non nutante supercilio, sed vultu in Martẽ porrecto, ore Herculeo, imperia potius quam negotia Regni promovebat. Legit in uno quanti essent è quibus flueret, si tantus flueret. Tamerlanis igitur acceptus palatiis, non quod magnitudini tantæ, orbis nata impendio, sufficeret moles, sed quod non alia tanto hospiti paterent tecta, quam quæ summa. Iisdem gloriæ insistens vestigiis* ANDREAS FREDRO *Turciæ totius oculos perstrinxerat, pendente animis Asiâ, regnum ne esset quod mitteret, nùm quos mitteret. Ita oriens quoq; Tuis* Illustrissime & Reverendissime Domine *illustratus Majoribus, illatum Asiæ & Africæ* FREDRORUM *Nomen, una cum fluctibus æquoreis in terrarũ Regnorumq; influxit memoriâ, vehebatur Oceano ubi se in* FREDRIS, *Polonâ vidisse majestatẽ diversi oris navigia personabant. Turcica quoq; si excutere fas esset monumẽta, attollerent se inter medios barbaræ suadæ horrores,* FREDRORUM *facta, legerẽtur mersa hostili sanguine fluviorum Nomina, in tumulos deformatæ valles, in hastas & tela exhausta nemora, tandem eadem qua surrexerant manu, ruinæ, pacis vinculo quam* FREDRI *darent, compositæ legerentur. Sed nolim* Illustrissime & Reverendissime Domine *Orbis premere volumina, ut uberiore sese venâ, tua ferant elogia, Tot jam meritis Polonos implestis fastos, quot nulla satis evolvant ingenia. Ibunt in memoriâ posterorum* Illustrissimi FREDRI IOANNES Castellanus Premisliensis, GASPAR Castellanus Sanocensis, NICOLAUS

An. 1400

An. 1500 Laurentius Fredro legatus in Turcia

A. Okolski

LAUS Succamerarius Camenecensis, IOANNES Iudex, GEORGIUS Dapifer Premisliensis, BOGUSLAUS Venator Regni, tum Leopoliensis Castellanus, ibunt inquam in memoriā posterorū, fatigabunt ingenia, implebunt codices, augebunt historiam: addent pretium opes in Patriæ commoda profusæ. Tito omnes vel Numæ pares dixerim, qui largiēdi oportunitatem, suâ manu non egenorū mensi angustiis, arte difficultatis munerum non erigebant magnitudinē, conferre visi beneficia si ferre, nec partiri dona sed impertiri. Attollit non tam turrium fastigia, quàm liberalitatis prodigia, Premisliēsis Basilica, MAXIMILIANI FREDRO Referendarii Regni

(Fund: PPm. Carmel: Præmisliæ.) sumptibus nata MAXIMILIANUM se ille negavit, nisi maxima largiretur, nominis mensuram immensis exæquans beneficiis, Majestatis simul & egestatis Referendarius, nisi quod Regibus suadæ copia, rerum, supplicibus peroravit. Auget munificentiæ Oceanū, iterum MAXIMILIANUS (parvi enim FREDRI esse ignorant, ubi aliena inopia beneficiis expugnanda,) MAXIMILIANUS inquam Castellanus primo Leopoliensis, tum Palatinus Podoliæ, qui geminâ purpurâ texit munera quæ porrexit, hinc saxis quoq; oppugnans avaritiam, & inculta marmora in liberalitatis trahens culturā, templū Premisliæ, & circumjecta ædificia, Calvariam fixit extra urbem, liberalitatē non ratus, quæ Mænia pateretur. In quo quid prius laude prosequar, munificentiæ ingenium, an ipsius ingenii amplitudinem? certavit cum oris facundia manus celeritas, & ubi Titum esse non licuit, Tullium induebat. Quid tantopere prædicastis, sæcula Nestoris copiam, Demosthenis facundiam, Hortensii ingenium? Socratis subtilitatē? FREDROS habet Polonia qui inter aras CHRYSOSTOMI, inter rostra Tullii, Camilli in acie, Curii domi, incertum Posteris reliquere: feliciusne Pactolus regna alluit, an non languenti scaturigine sese ferens eloquentia! aut plus ne Hermi, aut Tagi tempestas circumjacentibus proficit littoribus, quam uberius exundans sapientia? utrumq; in te Polonus adorat Orbis, Illustrissime MAXIMILIANE FREDRO, qui manu Trajanum, Constantiū, Theodoricū, ingenio tantum non te ipsum excessisti. Fidem habeo Æneæ Sylvio, qui scientias quæ claros homines imbuerent, aurum esse edocuit; vultū fortunæ ferre cæpit Polonia ex quo MAXIMILIANI voluminibus, Major ALEXANDRI Homerothecio, Iulij Cōmētariis, Theodosii Ellychnio, apparuit. Durabūt hærētia paginis facta, quamdiu literæ & quoties legentiū oculi styli & facūdiæ illecebrâ capiētur, toties laureata FREDRORUM Nomini elogia contexentur. Te petit tot aucta Majoribus gloria Illustr: Domine, STANISLAE IOSEPHE FREDRO Leopol: Castel: succedis fastis Majorū & fastigiis, vel hoc ipso Successor, quod tantos numeres Majores, vel hoc ipso Majoribus annumerādus,

(Disertissimus hic erat variorum librorū Author.)

quod tantis succedas. Purpura Tibi Leonis & Animus, Senatorē scilicet una induis & Heroëm, muricē indignās, qui tegit brachia non loricat, quibus non pauciora Patriæ propulsasti discrimina, quam humero Atlantis incūbunt sidera. Coronat tot in te merita Illustrissima Domina ANNA VINCENTIA, *quæ primo fædere* Duci in Czartorysk, *secundò,* Illustrissimo SAPIEHÆ Palatino Trocensi *consors majora Orbi etiamnum relinquit morū prodigia, quam fabulosæ Charites dederint exempla. Viros, viris superstes, superat, & meritis sexū excedēs, morū decore* ANNAM, VICENTIAM *se asserit virtutibus. Oratorio reliquas adoro silentio, quas par famæ virtus, Illustrissimis celebrat cōnubiis. Illis* Illustrissimæ *familiæ,* STANORUM, DROHOIOVIORUM, HERBURTORUM, POTOCCIORUM, (*quanta hi Patriæ decora?*) *acceptos in vitæ ortu debent splendores, illis* ZAŁUSCII, RADZIEIOVII, ZEBRZYDOVII, ZOŁKIEVII, DANIEŁOVICII, KONIECPOLSCII, ZAMOYSCII, *fasces, Scipiones, clavas submittunt, illis Ducum Mitras* RADIVILII, & KORIBUTHI, *majestates vero, sceptra coronas, metuenda orbi æque ac amanda* SOBIESCIORUM *inclinant nomina. Hic habes Polonæ Orbis quod adores, hic Christiana Religio, quo emineas, Senatorū, Principū, Regum insignia, uberiore inde fluunt vena, quàm Græciā Helicon, Macedoniā Strymon, Asiam Tygris alluit & Araxes.* IOANNES *ille, ille Poloniarū Achilles, Europæ deliciū, Orientis fulmen, per Materni ortus lineam, inter Abnepotes* FREDRORUM *sese retulit, suffragante ad solij ascensū Fortuna quod à tantis descendisset, Reges enim etiam hinc descendere, in Regalis gloriæ censum cadit, & coronæ præsagiū est tot Majoribus coronari. Jamq; in Tuum* Illustrissime & Reverendissime Domine, *pugnat vultū rubor, ubi tot purpuras Stylus explicat: is enim mores tuos tingit pudor, qui purpuras quoq; erubescat, Genitoris scilicet Tui,* Illustrissimi STANISLAI FREDRO Castellani Czerniejoviensis, *in Te traxisti modestiā, cui prima purpura pudor, prima Curulis demissio,* Illustris: *ille* ŁASCZ Excubitoris Regni *natus filia, vigili in vitia certabat custodiâ, ineptam Senatoriis humeris asens purpuram, quam fastus inflaret, inficerent crimina, recte facta non ornarent. Hactenus in variis Poloniæ imò orbis fastigiis, Antenatorum adoravi merita, nunc quam à Maternis splēdoribus traxisti lucem brevi depingā compēndio.* ALEXANDRI *illa filia erat quæ te* ALEXANDRUM *pareret.* ALEXANDRI *inquam* BEŁZECKI, Palatini Podoliæ Capitanei Bełsensis, & ELEONORÆ STANISŁAWSKA Thesaurarii Regni Filia: Illustrissima *utraq; nomina tam vicina purpuris quam nata, tam cunctis ornata fascibus, quam se ipsis fasces ornavere. Quot vero ab hac*

ELEONORA emanât decora? CATHARINÆ KAZANOVIÆ Succameraridis Regni, Sororis Illuſtriſ: KAZANOVII Bracłavienſis Palatini (cui una & POTOCCIÆ ſuâ Illuſtr: Exercituū Ductor JABŁONOVIUS debuit Conſortē) illâ partus erat, & quamvis innumera fluant illi elogia ex innumeris Illuſtr: KONIECPOLII Siradienſis Palatini, Sororini proximi, triumphis & meritis, tamē inde non minor gloriæ aſſurgit meſſis quod eum te meruerit nepotē, quem Polonia univerſa Iudicem. Magnū id, purpurâ & tuo dignum AVO, Illuſtr: BEŁZECCIO Palatino Podoliæ, Filium Caſtellanū Bełzēſem dediſſe Curulibus, filiarū unam OSSOLINIO Petricoviēſi Capitaneo Nepoti OSSOLINII Magni Cancellarii; aliā Illuſtr: WARSZYCCIO Caſtellano Cracov: conjugij fædere ſociaſſe: magnū Tuā Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Dńe Genitricē in Conſortiū vitæ Illuſtr: KORNIAKT tradidiſſe, & ſimul Materno ejuſdē Sororū Sanguine in connubia Illuſtriſſimorū LUBOMIRII Palatini Cracov: DENHOFII, KALINOVII influxiſſe; magnum ejuſdē Illuſtr: KORNIAKT Sororē Comiti Tarnovio junctam fuiſſe, cujus filiæ Polonia Archipræſulē, Eminentiſſimum Cardinalē RADZIEIOVIUM Roma debet. Sed par ſummis, eandē Illuſtriſſimo STANISLAO FREDRO Caſtellano Czerniejoviēſi, Tuo Genitori ſecundi Matrimonij fide obſtrinxiſſe, quæ Gneſnæ Prælatum, Regno Secretariū, Areopago Præſidentem, Orbi Polono pareret ALEXANDRUM. Lucet inſepulta in cineribus Illuſtriſſimæ GNIEVOSSIÆ Caſtellanæ Zavichovenſis Sororis Tuæ fama ejus, vivit in Illuſtriſſimo Filio KORNIAKT, cui prudentia, quæ magnis, merita, quæ Majoribus, animus, qui ſummis; perennabit verò in Te qui nihil egiſti non perenne; acti in decidēdis fori litibus dies, vigiliis conſūptæ noctes, merſi ſudoribus anni Te Conſis, Te Licurgis, Te Numis præferent, Te Gneſnēſes Aræ Poſteris exemplū dabunt, Te tractati manibus faſces titulorū recinēt decus, Te quam pertinaci declinaſti modeſtiâ, Infula, cum ſæculis attollet, qui meritis merita coronās, humeros factis ornare elegiſti, quam Archiepiſcopali inveſtiturâ palliare. Vtinam mihi tātum ſvadæ afflueret, quātum gratiarū, favorū, beneficiorū, Minimæ Societati, quātum injuriatis legibus integritatis, quāntum deniq; univerſæ Poloniæ gloriæ affudiſti: uberior in elogia iret calamus, nec ille manū teneret timor, qui ingentia ſummorū merita ſolius ādmirationis cultu mandat proſequi. Horrebā fateor illud quoq; quod in facie Illuſtriſſimi Poloniarum Areopagi, præcipitante ſtylum tempore, peroraverā; in Tuum proferre conſpectū, tenebris damnaverā indignā imo ream tot Illuſtriſſimorū Nominū operam, ſed Tua me tandē & Majorū Tuorū abſolvit Magnitudo quæ in ſuis cenſet elogiis, quibus non verborum elegantia, ſed morum depingitur. ideo extractū è ſuis umbris exile opus luci publicæ id eſt Tuo Illuſtriſſimo Nomini addixi. Stylum vero, quo tot Majorum Tuorum facta, temerario auſu invaſi, ad pedes deprimo, Pòëtica vocibus etiam vincula injicio, diſcat vel ipſa facundia Nomini Tuo hærere devinctiſſima.

CAR-

CARMEN

ITe doloriferis sociatæ luctibus iræ,
Ite truces lachrymæ, rigidi procul ite timores;
Ite minæ: melior Titan, meliore capillo
Puniceos vehit axe dies, temone retorto
Cornipedes flexere viam, rigidisq; lupatis
Concessere jubas, mutatas sensit habenas
Cillarus, & Pyrois, cursu supereminet Arcto
Arcturi permensus iter, jam fulva leonis
Ira perit, cecidere comæ, sua plaustra Bootes
Vertit, & aurato renovat convexa sereno
Purpureis Hecate frontem variata figuris.
Mutati Tu causa Poli, cui frena regendi
Sarmaticæ donant leges, cui lata nitentem
Inclinat Fortuna rotam, conscende Tribunal
FREDRORUM Lechiæq; decus! Lucina beato
Te fovit gremio, docuit palpare curules,
Laurigerisq; caput sertis, frontemq; pudicam
Cinxit, & ad Regum jussit reptare coronas.
Nondum purpureo lanugo sederat ore
Innocuis steterat nondum prætexta lacertis
Jam tum canities animo, jam fronte modesta
Florebat morum senium, non fulmina linguam
Non faciem mæror, non pectus coxerat ira
Par semper, similisq; genis pudor, Inclyta talem;
Ida Jovem vidit, cum primis fulmina palmis
Vexabat, placidaq; polum sub lege librabat.
Sic Castor Nireusq; ibat, sic casta Lacones

A Lædeos

Ledæos pingit ſpecies, cum ſtamine primo
Parca dies teneros formoſo pollice duxit
At dum Pieriis permiſit collibus ætas
Magnanimam mentem, nemo teſtudinis ictu
Gratior, aût fidibus digitos, aût plectra ſonoros
Impulit in cantus, Parnaſſia turba Camænæ
Orphæos rediiſſe modos. Amphiona rurſus
Fila ferire putat, Quidquid monumenta vetuſtis
Evolvunt faſtis, quidquid Socratica mundo
Fama dedit calamo, quidquid Chryſippus in Orbem
Profudit teneris etiam complexus in annis.
Pythagoræ vincis ſenium, ſtudiumq; Corinnæ.
Te Corybas caneret, te rupta ſilentia Delphi
Narrarent, fremerent caſtæ delubra ſybillæ
Cumanæq; petræ, veteri ſi forſan in ævo
Neviſſent Tibi fila deæ. ſed ſiſtite Muſæ.
FREDRORUM teneros annos, non ſæcula vincunt
Non ſoles Pylij, quidquid geſſere, triumphi
Signant, purpureoq; notant in murice regna.
Tu mihi plectra move Lechiæ quem jura ſequuntur
Præſidium legum Patriæ, columenq; ruentis
Juſtitiæ, Tu, Phæbus eris, Tibi tibia feſtos
Inflectet numeros, Themidis ſed lance relicta
In tua Cirrhæum reſonet præconia numen.
Impietas Lechicum latè cum cerneret orbem
Belligera creviſſe manu, proferre triumphis
Famam, Biſtonioq; agros. maduiſſe cruore
Invidiæ exarſit ſtimulis, riguere feroci
Fronte minæ. faciem luctus confudit, & atræ
In rugas riguere genæ, ſtat noctibus ora
Pallidior, pendent humeris ſine lege colubri
Cæſariemq; furor ſtringit, complectitur artus
Palla Meduſæis quondam temerata lacertis
Gorgone digna chlamys, longis ſubnectitur hydris
Cervix, erranteſq; fluunt per colla ceraſtæ
Poſtquam Sarmatiæ fines emenſa furenti

Lumine

Lumine, concepto laxavit frena dolori.
Heu regio funesta mihi! quonam usq; superbam
Attolles gladijs famam? sempernè triumphos
Bella dabunt. sempernè Lechum Fortuna sinistris
Eximet augurijs! numquamnè levantibus alte
Succedent lachrymæ rebus? fas omne per urbes
Aurifluo vehitur curru, virtutibus aucta
Libertas, fidei Latiæ fastigia juris
Concessit, primo pietas se culmine ponit
Prima triumphales cicuravit legibus enses
Prima coronatæ frenavit fulmina frontis
Et recti dedit ire via, jam Concanus alto
Incubuit ferro, Thracum, Macetumq; ruinis
Intumuit tellus, projecta falce Gelonus
Hæret, & Odrysios tumulos, prostrata Getarum
Bustis castra levant! quænam, quæ funera primis
Inspergam lachrymis, fatis decerpsit olympus
Quod Lechiæ donat, cecidit vincente Polono
Impietas! cecidit crimen, cecidere furores
Ense fides crescit, necibus nutritur & armis,
Seu pax purpureo regnum prætervolat axe,
Sive pruinoso veniens Gradivus ab Hæmo
Intonuit clypeo, probitas, terrore movetur
Nullo, virtutiq; torum Bellona cruentis
Insternit gladijs, virtuti bella Polona
Pugnant, armatasq; acies, non ira superbis
Concutit Imperijs, valido sed fortior ictu
Urget amor. Quid agam? felici sæcula passu
Ire sinam? miscebo domos, vexabo tumultu,
Accendam bellis regnum, violabo quietem
Committam fratres odijs, natumq; parenti
Opponam, clavæ renuant parere cohortes
Jus gladius dicat, succumbant templa rapinis
Et manibus leges, cognatis ambitus aulis
Imperet, & nullis habitet concordia tectis.
Finibus à parrijs quidquid reverentia legum

Præſcripſit, redeat torvo diſcordia vultu
Ira furens, livor, faciem fucata favore
Iurgia, prætenſoq; dolus ſuccinctus amictu
Quaſq ligant leges ſævis prorumpite buſtis
Cædes, ite feræ fraudes, prodite rapinæ,
Quidquid jura vetant, quidquid fundata per ævum
Conſvetudo negat, rigidi mandata putentur
Imperii. Themidem toto proſcribite regno.
Dixerat atq; facem ſtygio Phlegetonte madentem
Qua ſteterat tellure rotat, frontemq; colubris
Aſperat, & ſævo caſtigat verbere pectus.
Illico bella tonant, ſtridet clangore tubarum
Aer, cæde madent aræ, prorumpit in arma
Rupta quies populi, fuſo vindicta cruore
Creſcit, certatur necibus, victoria prima
Cognatas conferre manus, miſcere ruinæ
Urbes, atq; novo regnum confundere luctu
Sic dum fulmineis eliſa tonitrua Coris
Accendêre polum, volitant ſuper æthera flammæ;
Immugit Rhodope, reboant Pangæa fragore
Idæumq; nemus denſas formidine ſylvas
Concutit, & trepido terror ſuperincubat Orbi.
Sævior interea conjuncta licentia ferrô
Emicuit, non pæna ſcelus non crimina vindex
Inſequitur mucro, licuit quodcunq; libebat,
Hi ferrô ſcrutantur agros, hi fædere ſciſſo
Adverſas repetunt acies, hos prælia vexant
Hos formido rapit, nunquam ſecura quieſcit
Impietas, mediis horret fera tela triumphis.
Crimen, & immeritos quisquis venatur honores;
Exitii ſe fraude ligat. Prô quantus in ipſo
Ambitus eſt ferro? vix jam prohibente procella
Fluctibus eripitur navis, juvat ire per undas
Fortunamq; ſequi, gladiis prætendere clavum
Et primô ſe ferre locô, quis promere cantu
Cuncta queat, nulli licuit ſub jure vetuſto

Felices

Felices traxisse dies, pro lege potestas
Imperat, & solum jus est quod dicitur ense:
Hæc ubi Sarmaticas rapuêre incendia terras,
Libertas resoluta comas, galeataq; frontem
Ense ferox, vultuq; minax oculisq; tremenda
Colle stetit summo, neglecto purpura nodo.
Stringitur, & rigido murex umbone retortus
Defluit in rugas, aurato vincula nexu
Sidoniam, flectunt Chlamydem, totumq; quod ardet
Ferrum est, aut aurum; tum talibus astra fatigat
Planctibus O qui stelligero sublimior axe
Frena tenes Fatis quem cæca silentia noctis
Et solis lux prima colit, cui flectit Orion
Currus & vitreas despumant Plejades undas.
Non sævas scythiæ pharetras non rapta Gelonis
Signa peto, Geticis pridem cumulata sarissis
Limina templorum, numerant mucronibus aras.
Da Patria tellure frui, da Marte reducto
Sæva cruentatis defigere pila lacertis,
Et lauro frenare metum, si nulla supersunt
Tela Polonorum, veniant quos Bactra recondunt
Quos Mæotis alit tumidus quos nutrit Orontes
Tela minus longinqua nocent, incendia vires
Amittunt spatijs, gravius quod viscera rodit
Vulnus, & à cordis major jactura dolore.
Heu mihi quam denso, tumuerunt funere campi,
Hos Mavors hos æra necant, hos inscia fraudis
Simplicitas, rigidæ corrupto sidere mortes
Impendent jugulis, viduata palatia flore
Nobilium, nigro spargunt sua limina questu.
Busta domos vincunt, populi non fluctuat alto
Unda foro, nemorum latebras, & inhospita sylvæ
Plebs lacrymis respersa colit, sed sævior intus
Flamma latet, siluit legum percussa potestas
Et litui lites scindunt, decretaq; sævus
Mucro notat, causas succincta potentia ferro

 Discu-

Discutit, O tandem Lechicis, Fortuna medere
Sæva malis, liceat cæco purgata veterno
Saeculá prodire, Hectoreis se Troilus armis
Induit & cæso Pyrrhus successit Achilli
Æneæ cecidit Turnus, sine vindice, nostra
Impetitur cervix, ipsoq; in corde moventur
Prælia, deficiunt oculi, singultibus ora
Deficiunt, Diomedis equos syllæq; furores
Centauros Lapitasq; precor laxate suprema
Sidera, Civili Patriam ne sternite ferro.
Hæc ubi luctiferis, concessit verba querelis.
Hæsit, & amota proturbans casside luctum
Nube genas purgat, tempestatemq; coercet
Frontis, Ceu pelagus tumidis dum vertitur Austris
Vulturnusq; vagum populatur fluctibus æquor,
Oceanum novus ardor agit, symplegades æstu
Strident, æquoreæq; fremunt aquilonibus undæ
Ast ubi deposito, requievit murmure pontus,
Mulcet aquas Zephyrus. sævas lux alta procellas
Verberat, innocuumq; silet sub puppibus æquor.
Petricovia descriptio Est Urbs Sarmaticis quondam celebrata triumphis
Petra dedit nomen, longo se mænia nexu
Nubibus infundunt, muros turrita coronant
Ostia, sublimes humero super æthera turres
Procurrunt; graciles circum reptare penates
Sæcula jusserunt, melior structura refingit
Circum, nam larium proscripta plebe minorum
Surgunt tecta tholis, fulvis laquearia tectis
Nimborum rident furias, stant fulta columnis
Templa, vetustatis nunquam cessura labori.
Dispositas ars culta vias nunc ipsa secare
Atria, nunc mediam sese penetrare per Urbem
Nunc geminum lustrare latus, nunc scindere vicos;
Iussit, & in patulos tandem procurrere campos.
Stat medio defixa foro, mæstumq; minatur
Curia Dædaleis quondam sudata lacertis.

Hic

Hic Steropis Brontiſq; manu truncata rigeſcunt
Saxa, Metus luctuſq; ſacris de ſedibus exul
Excubat ad limen, religantur carcere cæco
Crimina, reſpectuſq; timens & nomine picto
Fraudes, invida avarities, vindictaq; pallens
Enceladi nexu ſævis ſtringuntur in undis.
Interius ſtat cana Themis, non defluit extra
Vultus, nec faciem populi ſpectacula flectunt
Sed recta ſe fronte levat, mucrone laceſſit
Phæbum, lance diem, fugiunt confinia noctes
Illæſumq; jubar, lucis circumfluit unda
Inde coronato poſuit dum frena dolori
Libertas, tetricas dictis ſolata querelas
Iuſtitia. Armatisnè deeſt fiducia rebus
Vel mucrone latus preſſum formidine cingit
Luctus? Sarmatiæ faſtos, monumenta revolve
Priſca, rigant lacrymæ laurum, ſuſpiria famam
Attollunt, gravibus Fortunæ cymba procellis
Innatat, utq; dies noctem, ſic bella citatis
Inſequitur pax alta rotis, non ultima Thules
Non Lybiæ deſerta petas, non ſtagna Timavi
Nec gelidas ſcrutare Alpes, ſunt nata ſaluti
Limina FREDRORUM, nullo diſcrimine claram
Corrupit Fortuna domum, ſed faſcibus auctam
Iuratis cinxit trabeis, ab Origine prima
Facta cano, luſtrat Latio cum Tybride mundum
Tarpeiiſq; jugis cunabula prima refixit,
Ut quoties Romam populi genteſq; ſubactæ
Dejectis horrent genibus, primordia lucis
FREDRORUM, ſumptaſq; togas, preſſaſq; Curules
Æquatumq; genus regnis, & culmen adorent
Fortunæ veteris Fabiis permiſta propago
In Decios fluxit, libertatemq; Latinam
Niliacis extendit aquis, nam quis quis in arma
Elicuit vires Italas hinc prælia prima
Inde tubas ſenſit, Rubiconia littora mitto,

Colligationes olim per varias Italiæ partes.

Mitto vagum Lyrim, Minium, celeremq; Metaurum
Qui tumido quoties petierunt æquora fluctu
Hoc nomen vexere mari, fremituq; locuti
Quas gentes quæ regna tenet, quibus Urbibus altum
Jus dicit, quanto solijs se sanguine jungit
Quam nunquam meritum defecit purpura pectus
Ausonium postquam superarunt facta Quirinum

Clemens Mierzb circa 994. à Benedicto 7mo huc missus Episcopus Crusvicia fidem plantat.

Sarmatico submissa solo, MIERZB Nominis hæres
Patriciis ingens titulis has cessit in oras
Hunc ego prætulerim Cocli Atlantiq; tuenti
Jura poli, fidei Latiæ quod floreat ætas
Carpatiisq; sonent tutò sub collibus æra
Atq; aras Phæbo liceat spectante vereri
Illius sudore stetit. Non infula curas
Excussit capiti, nulli præcisa potestas
Colloquii, licuit rudibus sub Præsulis ire
Vultum, pauperiemq; feram cicurare petitis

Illius frater sub Mieci slao: fundat. Benczam in Masovia.

Filij ejus duo Nicol. & Boguslaus Canonici Crac:

Omnia complectar brevibus, Dux Hector, Achilles
Romanæ fuerat fidei, Nec frater ab alto
Sanguine dissonuit, trabeis conjunxerat arma
Et cum detumuit Mavors, tum vertere terras,
Possessosq; agros, optataq; tecta colonis
Concessit, Lechicosq; auxit ditione penates,

Hic erat Marescalcus Casimiri Magni primusq; victo: hoste Fredro vocari capit.

Prole aras Craci, nec Dobieslae tacebo
Facta quibus, torvum proturbans viribus hostem
FREDRORUM renovas famam, soliiq; Supremus
Scipio, primus habes nomen quod sæcula fastis
Implet, Vivit adhuc nullis mergenda procellis

Sub Iagielone Andr: Fredro Castel: Halic: Sniatin: Præfectus.

Gloria, quam Jagielloni vicina potestas.
FREDRO, promeruit clypeo Sacrumq; Senatum
Et Castellanas trabeas defendit avito
Robore, Cameneci sublimia culmina testor

Nicolaus Fredro Succamerarius Camenecensis.

In Geticas quantus tonuit mucrone cohortes
Ille cui mandavit Succameraria terras
Virtus, Atlanti similes Lucina refudit
Natos, ense pares omnes, nulliq; secundi

Seu pi-

Seu pietas, ſeu bella vocent, ſeu fata repoſcant,
Moldavicis alter tremefecit cladibus orbem.
Alter in Olbrichto Patriam ſuprema timentem
Conſiliis fovit neutri fortuna negavit
Purpureos cinctus, auxit Bellona triumphos
Atq; Palatinas inſedit laurea frontes
Pæſtanos citius flores, Hyblamq; virentem
Evolvam, totos numeris quam ſtringere faſces
Evaleam, quisquis tanto de Sanguine fluxit
Vel Martem manibus vicit, vel præmia factis,
Carmeli ſe monte levat, quem fuſa per auras
Templa canunt, opibus nullis ditavit avara
Antra, ſed in lachrymas Cræſeis largior undis
Ivit, & in Regum retulit penetralia læſam
Pauperiem, nullumq; premunt hoc vindice fata.

Maximilianus Fredro Referendarius Regni Premisliæ Carmel: Fundat: Pm.

Fratribus æqualis genitor ſeu jura tuentur
Lechiadum, populoſq; regunt ſolioq; miniſtrant
Moldavicoq; gravem præcingunt murice frontem

Fratres ejus Premislienſis Iudex & Dapifer ac Mol: daviæ Epiſc:

Sed quæ Muſa canet famam? quæ plectra ſonabunt
ANDREAM? geminis, quem cinxit purpura nodis
Caſtaliaſq; dedit Lechiæ miſcere Camænas.
Hunc Plato, natuſq; loqui, cum Socrate Neſtor
Obſequio celebrat ſuperavit mente Corinnam

Andr. Maximilian: Fredro Caſtel: Leopol. poſtea Palatinus Podoliæ multorum librorũ Autor.

Ingenio Meden. Fixo quæ marmore Nubes
Verberat, & Socios ſpernit Calvaria montes
Inde trahit fontem, rutilos his fluctibus ortus

Fundator PP. Reformatorũ Præmisliæ & Calvariæ

Debet, & auratis FREDRORUM munera dextræ
Culminibus loquitur, Rurſus ſe purpura ſtringit
Et geminos fratres rurſus, laudante ſenatu
Imbuit, Emeritaſq; jubet preſſiſſe curules,
Sarmaticos auget titulos quem Ruſſia Grajis

Georg. Boguslaus Fredro primo Venat: Regni deinde Caſtell: Leop.

Neſtoribus præfert, docta virtute Lycurgum
Polydamanta animo ſuperat, non divite mentem
Ingeminat faſtu, æſtivi ſed ſolis adinſtar

Stanisl: Ioſephus hodie Caſtell: Leop.

In cunctos frons una viro, vitiataq; nullo
Turbine, vel caſus ſubiti dejecta pavore,

C Quod

Quod si fæmineis sermo se laudibus infert
Iulia deficiet factis, Cornelia famæ
Decedet titulis, posita testudine Clio
Laurigeri recinet se victam pectinis arte.

Anna Vincētia primũCōnubio juncta Duci Czartoriensi secundo Illustr: Sapiēha Palatin: Trocensi.

Una mihi linguam superat, VINCENTIA, magno
Consors juncta Duci. quem constans fama per Orbis
Ora feret, seriq; canent pia facta Nepotes.
Illa Palatino rursus Sociata favori,
Connubio Cælum junxit, fædusq; maritum
Transtulit in censum meriti, non Chellia tantum
Non Tanaquil Latio retulit, nec tanta Serenæ
Affingit Stilico, quanto celebrata pudore
Laudibus eripuit pretium, præventaq; nunquam,
Prævenit virtute viros. Nec dispare sorte
In reliquas Fortuna egit, sed dote nitentes

Innumeræ Illustr: Familiæ in hãc domũ influunt.

Principibus thalamis & noto nexuit ostro.
Inde fluunt strictis SOBIESCIA Nomina Sceptris;
Herburtiq; graves ferro, ZAMOYSCIA clavas
Progenies vibrat, CORIBUTHORUMq; tiaris (ducit
Dant KONIECPOLIDÆ Martem. ZOŁKIEWSCIA
Signa domus, DANIŁOWICIIS arctata Colossis
Terra, Alios brevibus prohibet concludere metris,
Æterno similis numerus, quos sidere dextro
Contigit è FREDRIS ortum vitamq; referre,
Aût Hymenæe tuas leges tua jura secutos

Illustrissimi Cast: Sanoc: Filiq Capitan: Crosnens: & Filia Cōnsors Illustr: Załuski Castellani Ravensis fatis cedunt.

Consortis scindi tumulo. ZAŁUSCIA tanto
Læsa domus luctu dum vitæ fila sorores
Ruperunt vitæ sociæ. fratremq; sub umbras
Spemq; omnem tumulant. O nulli turbo sereno
Absens! quam subito misces solatia fletu.
Purpureum Patrem lacrymis, luctuq; maritum
Conficis, & geminis urnis tot gaudia mergis?
Sed quæ summa rei quo cardine vertitur omne
Consilium meritam nondum tegit Infula frontem
Illius cûi cruda genus si Fata negarent,
Suppleret probitas. Factis superata vetustas,

Nomen

Nomen ALEXANDRUM reddit, matura coërcet
Sidereum ſpecies vultum, totoq; refulget
Ore polus, Patrem prima de ſtirpe fluentem
Maternæ irradiant ceræ, vigilataq; regni,
Commoda, defenſæq; aræ, protrita Getarum
Caſtra. Triumphali ſucceſſit purpura lauro
Nam quidquid ſacros FREDRORUM veſtiat artus
Id murex id laurus erit. Nec Matris origo
Nubila, ſed quanto ſpectatur Cynthia cælo
Cum noctis pellit tenebras, & liberat aſtra,
Ignivomamq; comam geminos pervecta triones
Spargit, & æquoreis diſpenſat fluctibus ignes
Hæc ſortita Patrem, qui Magno ſanguine magna
Nomina connectit. meruit, vel ſumpſit honores
Quos ſummi ſimilem cæli junxêre Parentem
Theſauros fortuna dedit rutiloq; revinctam
Auro, per varias docuit ſe fundere ceras
Edidit hanc orbi Lechico, paritura Coronis
Si meritum ſpectes, magni ſoror inclyta Patris
Qui clavæ genuit ſociam, cumulatq; Senatum
Hactenus, & clara redimit faſtigia prole
Atq; Sororino decoravit murice natum.
Quodſi iterum rediiſſe licet maternaq; magni
Præſidis acta cani, rurſus geminata Sorores
Purpura condecorat, KORNIAKTORUMq; maritæ
Tedæ OSSOLINIIS quas longo lumine Muſæ
Per Latium accendunt Tyberim, LUBOMIRIA lucem
DENHOFFIq; domus donat, KALINOVIA lauros
Connubia auxerunt, paribus tot Nomina votis
Germanas ſociant nupta cum luce Sorores
KORNIAKTIS debebit RADZIEIOVIA lucem
Purpura, quiq; nitet titulis & facta diebus
Congeminat falcemq; gravem jam paſſa ſororum,
Caſtellana tenent fratrem ſubſellia, binis
Bina ſoror trabeis, Lechico ſe commodat Orbi
Tanta luce genus, fulſit tantoq; nitore,

Genitor Illuſtr: Præſidētis Stanisl: Fredro Caſtellāg Czern: procreatg e filia Illuſtr: Excubitoris Regnī Laſcz.

Genitor Matris Illuſtr: & Reverend: Secret: erat Ill: Alexander Betzecki Palat: Podol: Capitan: Betz: Conſortē habēs Eleonorā Stanisławska Ill: Theſaur: Regni filiam.

Hāc ipſā edidit Ill: Catharina Kazanowska Succamer: Reg: filia ſoror Pal: Braclav: Patris Ill: Iablonoviæ Duc: exercit: Conſortis, Soror ejuſdē Ill: Catharinæ, genuit Ill: Koniecpols: Pal: Siradiæ.

Ill: Genitrix: Ill: Præſidētis nupſerat Ill: Korniakt genito ex Oſſolinii Cancellar: magni Filia, habēte tres ſorores quæ nuptæ Lubomir: I. Denhoff Ill: Kalinovio eigdēl Korniakt ſoror genuit Card: Radzieiovīū filig eiuſdē vivit. Filia Ill: Zavichov: Caſt Gniewos vixit.

FRE-

Illust: Mater Ill: Secretar: Fratrē Ill: Castell: Belzensē & sorores 2. numerat una Ill. Offolinio Cap. Petric: alia Ill: Warßycki Castell: Cracov: in consortiū vitæ data.

FREDRORUM se fama vehit, non falsa salutem
Astra dabunt, tantis manibus si frena regendi
Sarmaticæ donant leges, non crimina sparsis
Crinibus errabunt, tumido non agmine fastus
Ibit & affinem non rumpet scissio nexum
Unus ALEXANDER patrii si culmina juris
Conscendat, terras viduabunt gaudia luctu
Infula si nondum sacram contingere frontem
Audet, in emeritam concedant legis habenæ
Dextram, purpureoq; Themis se Præside jactet,
Hæc ubi dicta dedit, jam fama loquacibus alis
Impulerat linguas populi, vultumq; sinistris
Luctibus exemit, gemitus & sæva dolorum
Turba silet, siluit terror nec viscera vanis
Cura minis torquet, conspirant gaudia fronte
Et cunctos mens una tenet, velut aggere rupto
Hortorum decus omne perit, jam lilia plenis
Deficiunt culmis, jam naufraga colla procellis
Hesperiæ sternunt violæ, Pæstana dehiscunt
Lumina, Narcissusq; feris exspirat in undis.
Et Flora emoriens amarantho tempora nectit.
Sed dum purpuream provexit ab æquore lucem
Titan Undosumq; caput Neptunus ab undis
Elicuit, redeunt faciles in littora fluctus:
Et campis sua forma redit, ridentq; pudicis
Arva rosis, pratiq; decor, cervice refusa
Efflat odoriferos vicinis collibus imbres.
Iamq; tuis sonuit percussus plausibus æther
O decus! o Lechici sublimis gloria sceptri!
Tu legum Patriæ vindex tibi jura vetustum
Submisere caput, meritum, conscende Tribunal
Ipsa Themis solium flectit, panditq; Curules
Quas natura tibi quas primæ lucis origo
Indidit, Innocuæ ludunt dum vertice flammæ,
Ascanio Imperii spem succendere futuri
Te non fatidicus nobis monstravit haruspex

Non

Non Fibris pecudum Medus, lymphataq́; vatum
Turba, tripos meritum fuerat quo Iudice primus
Te circumstat honor Genuit cûi fama Leonis
Inseruit nomen, Geticis Urbs horrida Bactris
Archipræsuleos quod dedignatus honores *Archiepiscopatũ excusat*
Vicisti meritis fasces, jam brachia murex
Imbuerat voto, jam sacros cingere crines
Insula flagrabat, populi Procerumq́; Coronæ.
Sidereum redimire caput, succendere gemmis,
Aurifluo sparsisse Tago; circumdare Gange,
Ardebat gaudens sed summa modestia summos
Præcedit titulos, nectit demissio laurum
Et sciri impatiens Virtus perrumpit honorum
Vincula, non auro trahitur non flectitur ostro
Ipsa sibi culmen majestas, Mitra, tiara.
Præsuleo distare pedo, cathedraq́; remotus
Eligis, a populi vitam servare tumultu.
Nec paci violare fidem, sceptriq́; favorem
Expugnas, precibus, taceat superata vetustas
Fabricii fastos Serrani desinat áctus
Phæbæis proflare tubis, Te Major in Orbem
Fama vehet, recinet longa testudine Clio
Caliopeq́; sacris fidibus Polyhymnia plectro
Mundabit facinus, quod nulla licentia castis
Moribus irrepsit, quod purpura sola Pudoris
Accendit meriti studium, quod turbine nullo
Colloquii vitias pretium, nec Iudice fastu
Munera largiris, nec cribratura nocentes
Dona seris, stabilis nulli Fortuna nocere
Nec prodesse potest, paribus concurrere telis
Pauperies aurumq́; valet, præponderat æquum
Divitiis, nec mucro metit sed solvit acutos
Causarum stimulos. Sed jam proclivior urget
Musa fides, flectitq́; rotas, flectitq́; jugales
Adventuq́; tuo sonuit Parnassus & Ida.
Dum Tibi Iustitiæ libram matura canebat

Famā dari plauſum populus ſe fudit in omnem
Ut te laurigero curru ſublime nitentem
Cerneret, ingreſſumq; tuum comitante Gradivo
Feſtivæ canerent turbæ jam reflua circum
Unda tenet populi, tota jam fluctuat Urbe
Nobilitas, hi tecta petunt, hos pegmata ſaxis
Attollunt, pendent alii ruituraq; lentis
Mænia, defigunt plantis vulguſq; per omnes
Itq; reditq; vias, optati copia vultus
Cunctorum nutrit ſtudium, deluſaq; tandem
Spes præſaga ſtetit, mediam dum vectus in Urbem
Non lituis cinctus non bellatore vetante
Intuitum plebis notis te mænibus inſers
Exemplum veterum currus, quæ cinxerat aula
Ora Numæ retulit, non ſuccedentibus atrox
Vel gravis occurſu, ſed morum plena tuorum
Linguarum meruit pretium. Capitolia curru
Fabricius Pyrrhi domitor, Mariuſq; ſubactis
Conſcendit, Numidis, poſt prælia Martis Eoi
Magnus Tarpeiam gladiis fulgentibus arcem
Intrat, Pellæaq; domus domitore Quirinus
Illuxit, millena tamen ſecuere triumphos
Tela, coruſcanti quæ ſedit adorea fronte
Meta fuit melior quam cæcus figere livor
Appeteret. Superas omnis confinia ſolus
Invidiæ, gaudet quis quis Te dulce tonantem
Solvere cauſarum nodos vel verba diſerta.
Texere voce videt, non differs tempora cauſis
Nec dilata augent miſeris decreta querelas,
Non vultu terres miſeros, ſed Iudicis iræ
Scis miſcere Patrem, dubii placet alea juris,
Tanta jacta manu, victus victorq; ſereno
Se referunt animo, neutri te Iudice pondus,
Sors ſua; Iuſtus Ariſtides juſtuſq; Camillus
Atq; Prienæi ſtabilis te libra Biantis
Manlius & veterum ſublimis gloria Chiron

Te Themidis solio te deposcentibus Aris
Insererent, totusq́; tuis sub legibus Orbis
Vivere flagraret. rigidus Rhadamanthus, & Acer
Æacus inviti jam decrescentibus umbris
Otia pacis agunt, nam quis sub Præside tanto
Æternaturi renuat post sædera juris
Innubes servare dies, positoq́; tumore
In tua concordes convertere facta Camænas
Jamq́; coronatos jungit tibi fama jugales
Jam sparso temone volat, jam curribus altis
Te capitolinis tectis, te fronte Quirini
Collocat, Ausoniosq́; jubet sudare labores.
Sollicitent qui fila manu, qui ductile flectant
In Tyrios aurum nervos, qui vincula gemmis
Injiciant primoq́; tibi de stamine prima
Insula consurgat, quæ deposcentibus Astris
Cingat honoratæ sublimia tempora frontis.
Hæc ego dum cecini sonuerunt Æthera flammas
Et mea præsago confirmant vota sereno.

CELSISSIMI
TRIBUNALIS
REGNI
DEPUTATI
COLLEGII SPIRITUALIS

Illustrissimus Reverendissimus Dominus

D. ALEXANDER FREDRO

SECRETARIUS REGNI, PRÆLATUS, CANTOR GNESNENSIS, PRÆSIDENS TRIBUNALIS REGNI.

I. R. D. DOMINICUS SIENIENSKI *Canonicus Gnesnensis, Varmiensis &c. Infulatus Łascensis,*

VICE-PRÆSIDENS TRIBUNALIS REGNI

I. R. D. *Boguslaus Kucinski Canonicus Leopoliensis*
I. R. D. *Albertus Siemieradzki Canonicus Cracoviensis*
I. R. D. *Michael Łabęcki Canonicus Cracoviensis*
I. R. D. *Franciscus Wysocki Canonicus Cujaviensis*
I. R. D. *Stanislaus Głoskowski Archidiaconus Posnaniensis*
I. R. D. *Albertus Strzeszewski Custos Płocensis*
I. R. D. *Hyacinthus Gasowski Canonicus Luceoriensis*
I. R. D. *Hieronymus Iełowicki Cancellarius Leopolien: Canonicus Premisl:*
I. R. D. *Stanislaus Hosius Canonicus Cracoviensis, Culmensis, &c. Auditor &c.*
I. R. D. *Nicolaus Zerzynski Canonicus Chełmensis*
I. R. D. *Andreas Karsznicki Canonicus Kijoviensis, Officialis Radom:*
I. R. D. *Nicolaus Złotnicki Canonicus Camenecensis.*

DEPUTATI
COLLEGII SECULARIS
Illustrissimus M. Dominus
D. PETRUS KCZEWSKI
PALATINUS MARIÆBURGENSIS, CAPITANEUS CHRISBURGENSIS, STANISLAVOVIENSIS, STAROGARDENSIS, &c.
MARESCHALCUS TRIBUNALIS REGNI.

I. M. D. *Nicolaus Skoraszewski Vexillifer Wschovensis*, ex Posnaniensi
I. M. D. *Alexander Złotnicki, Tribunus Vschovensis*, ex Posnaniensi
I. M. D. *Michael Iordan, Palatinus Braclaviensis, Capitaneus Dobczycensis &c* ex Cracoviensi.
I. M. D. *Stanislaus Łętowski, Thesaur: Cracov: Iudex Biecen:* ex Cracov:
I. M. D. *Albertus Petrus Szembek, Burgrabius Cracoviensis*, ex Ducatu Osviecimensi & Zatoriensi.
I. M. D. *Franciscus Poninski Capitaneus Kopanicensis*, ex Calissiensi.
I. M. D. *Franciscus Gaiewski, Castell: Satecensis*, ex Calissiensi.
I. M. D. *Stanislaus Rychłowski, Iudex Castrensis Petricov:* ex Siradiensi
I. M. D. *Stanislaus Karsznicki, Venator terræ Vielun:* ex terra Vielun:
I. M. D. *Felicianus Grabski, Vexil: & Iudex Castren: Lacicien:* ex Lanci:
I. M. D. *Franciscus Walewski, Castell: Brzeznicensis*, ex Lanci:
I. M. D. *Franciscus Rosciszewski*, ex terra Dobrzynensi
I. M. D. *Łoś Vexillifer Sanocensis, Iudex Castrensis Leopoliensis*, ex terra Leopolinsi.
I. M. D. *Cetner, Capitaneides Leopoliensis*, ex Premisliensi.
I. M. D. *Stanislaus Gorecki, Iudex Castrensis Chełmensis* ex Chełmensi.
I. M. D. *Casimirus Krasnodębski, Iudex Terrestris Drohicensis*, ex Podlachiensi.
I. M. D. *Casimirus Karwowski, Pocillator Viscensis, Iudex Castrensis Branscensis*, ex Podlachiensi.
I. M. D. *Hieronymus Załuski, Castellanus Ravensis &c* ex Ravensi.
I. M. D. *Samuel Bratoszewski, Notarius Terrestr: Gostinen:* ex Ravensi.
I. M. D. *Paulus Iaroszewski, Vexillifer Płocensis, Notarius Płocensis, Iudex Visogrodensis*, ex Mariæburgensi.
I. M. D. *Andreas Dąbski, Capitaneus Naclensis*, ex Brest: Cujaviensi.

PRÆ-

PRÆFATIO
In Renovatione Studiorum,
SIMUL SALUTATORIA
POLONI TRIBUNALIS.

EXpendite Iudices Illustrissimi, decernite Iustissimi Proreges, (ita vos & Officij dignitas, & meritorum ac Sanguinis inaurat Nobilitas) literariam ingressis arenam, pro literarum dignitate, an pro Vestra cernendum majestate? Equidem si per Judicum subsellia, stylum circumferam Orator, pauciora Tullio, verba quam vobis merita Eos enim nobis hodie cælum offudit Judices; qui Curules implere ac Orbem sufficerent, æque purpuris nati, ac idonei; æque Curiæ optandi, ac timendi. Vestra igitur elogia literarum erunt, nec alia Sapientiæ panegyris quam Vestra; virtutes enim Vestras, scientiarum fecistis materiem, postquam in singulis Polona Themis habet quo emineat. Quodsi Judices Illustrissimi, delinquentem svadam offenderitis, incomptam omnino ne censete, suam à Judice famam delicta quoq; auspicantur, & quoddam elogij genus est, à summis disquiri ut displiceas. Crescunt factis fasti, & non humile elogium est quod non verborum inflat tumor, sed heroica animant facinora. Ingemit ad gemmarũ maciem aurei orbis annulus, & felicius in Ganymedis quam Thersitis vultu, Phidiæ cælum, vel Apellis lusit penicillus Ita quædam facundiam rapit ambitio, ubi in Vestra Judices Illustrissimi assurgit elogia; sive enim

ad Tribunalitiæ Themidis clypeum aciem vertat oratio, Fabricii pro Latio, Cyneæ pro Pyrrho, pro Jove Mercurii peroratis, promptiores semper flectendæ contumaciæ quam plectendæ. Ita enim & clementiam rigor, & rigorem clementia temperat, ut æquè trepidandum occurrat a vobis causarum nodos excuti, ac ne non a vobis excuti contingat. Sive in libram Iustitiæ, gravis laudibus Vestris penna involet, eâ litigiorum pondera pensatis lance, ut neq; lenitatis gloriam, puniendi corrumpat severitas, nec ita plexum abeat scelus, ut triumphet. Quodsi singulorum quoq; limina adoret stylus, publica illa insedit utilitas, nec postquam juris strepitu castigata sunt crimina, arcano ubere lactantur. Non obsident Augustas januas populorum querelæ, virtuti omnia militant, læti quoq; Vestram vident potentiam, qui suam maluissent. Jus enim dicitis, & facitis, fertis leges non tollitis, & quidquid decretoriâ expenditis lance, legendum est non lugendum. Numæ Regiam dixerim Domos vestras, ubi omnia in Justitiæ suffragium conspirârunt. Hic habet Areopagum Polona felicitas, hic Asylum Christiana Religio, hic Tripodem quæ jam vitium fecerat fortuna, inde emanant responsa, quæ vel Dodone optaret, funduntur oracula quæ vel Delphos inviderent. Nolim tamen uni omnium merita committere elogio habet in singulis Vestrum Judices Illustrissimi Polona Themis quo emineat. Primum assurgit in Encomia nomen Tuum Illustrissime & Reverendissime Domine Areopagi Præses meritissime: nomen in quam Tuum par orbi implendo, nomen, vel potius Nominum gloria, quod colit Polonia, Vaticana attollunt oracula, populorum adorat admiratio. ALEXANDROS dixerit qui FREDROS, quibus parvum nihil præter orbem, quamquam hic quoq; Vestris meritis, quam suis limitibus locupletior, facilius se ipsum Domi Vestræ, quam Domum Vestram in se ipso comprehendit. Et certe non plures Athenis homines, quam inde Attica Numina emersere. Non plures Areopagus Judices, quam Domus hæc Polonæ Themidi dedit Præsides. Seculorum fastos FREDRORUM exhausit nomen, postquam eum titulorum collegit exercitum, quo & honor omnis decresceret, & fortuna opibus vinceretur. Quicunq; rubet ad purpuram Sangvis, vobis fontem debet vel amorem. Consangvinei fasces omnes, nec dignitas ulla enituit, quam FREDRI olim non darent vel acciperent. Cornu illud in quod Gentilitii Unicornis frons se porrigit, non alium certe meruit scopum, quam fortunæ orbitam imo Orbem. Extendit se, toties in acumen, quoties in

ortho-

orthodoxæ Justitiæ præsidium extendit. Æquè negandæ natum injuriæ ac sanandæ. Tuus verò & vel ideo Invictissimus, nec ulli Fortunæ telo penetrabilis Leopardus, stylum armat & Curiam, Illustrissime Mariæburgensis Palatine, Poloni Areopagi Scipio, Atlas, Arbiter, Fortissime. Coronæ ille verticem porrigit & merita, unde coronæ injurius qui Tuo Nomini, Curiorum olim insedit signa, Turni prævolavit aquilas, non tam suis discolor maculis, quam victoriis insignis. Sudant etiam nunc humeri, quos non tam crudus chalybs, quam virtus Martia loricat, ubi Leopardi tui exuviis incinguntur. Protegunt illæ Patriam dum tegunt, hostem non animant sed exanimant. Taceo quibus Curules & subsellia ornasti titulis, Majestatis semper Tullius vel vindex; eam enim inibi Oratorum calamis dedisti materiem, quam nec Polonæ quidem Themidis libra satis ponderet. Scipionem tandem Tibi honor ingerit, sed index ille magnitudinis Tuæ esse potest, mensura non potest. Scipiones sunt quicunq; in Tuis manibus fasces, Duces honorum si honores. Superinduis enim trabeas, non induis, & purpura tegit purpuram si tuos humeros. Jam olim Polonæ Themidis bilancem innumera flexerunt arbitria, ne vel a Justitiæ limitibus, ad favoris aberraret confinia, vel ita legum attolleret Majestatem, ut deprimeret innocentiam. Sed Tuis illud manibus servabatur imo crescebat regimen; ut constaret, honoris quoddam incrementum esse in Tuis censeri. Facta olim factis, hodie Mercurij & Promethei virgam, Scipionis Tui gloria, exæquasti: feliciùs enim illo quam clava Herculis Patriæ propulsas discrimina, Senator prius quam Mareschalcus, id est Pater Patriæ quam Judex. Nec alij Tanto Nomini debebantur fasces, quam qui fulcirent graves meritis titulos, & præirent. Ipsa enim quæ PETRI Nomine sedit firmitas, ad illas te duravit trabeas quæ ferri deberent & præferri. Scipionem itaq; Tuum honorum anteambulonem cense, prodromus est, non primus. præit aliis, Te in orbis fastos deducit. Quid autem Tua Illustrissime & Reverendissime Poloni Tribunalis VICEPRÆSIDENS Literata Crux portendit.? Quæ Oratorū calamis non tam debet elogia, quam donat? Tua te fastigiis inscribit Pietas, Tua honoribus intitulat Sanctitas, nec Majorum amas Ceras, nisi quas Orbis discat & adoret. A Gnesnensibus Aquilis ad Tribunalitia evolas subsellia; scilicet nidum in te transferunt honores, non locum, & quæcunq; Trabeæ, in tuos concedunt humeros advolant avidæ, non accedunt. KUCINSCIORUM Domum, triumphis fortuna Gentilitio annulo desponsavit, & metam sagittæ orbem dedit.

 Telum

Telum iſtud Medorum & Parthorum non impar jaculis, ubiq; figit trophæa, non defigit; dimidio annulo Orbem ſibi probat non ſufficere. Illuſtriſſimum SIEMIERADZCIORUM Nomen MICHALIS libra ponderandum. Judiciariæ lanci manum admovent & merita, Judicum ita implebant ſemper Curules ut ſolia potuiſſent, non minus gentilitio ſidere Patriam illuſtrant, ac ferro defendunt. In ſæculorum faſtos ŁABĘCCIORUM influxit Argo, non unum gloriæ emenſa Oceanum. Vellus aureum, Magni trophæa, cum Cæſare Cæſaris vexit fortunam, cælo vicinior dum fluctuat. Jn ſe habeat unde & ſcelera naufragium timeant, & virtus non timeat. WYSSOCCIORUM par Domus eſt Cælo, inde Soles Patriæ inde ſydera non ſine luce genus, totidem enituit fulgoribus quot Majoribus. Polonæ ſemper velificata gloriæ GŁOSKOWSCIORUM Navis, transmiſit tēpeſtates non permiſit & quocunq; vela daret, vexit fortunam vel reperit. Jaſonia potior rate, Julij ſecurior claſſe, faſcibus & clavis impellitur non remis, clavo illius Themis præſidet trabeata. STRZESZOWSCIORUM Nomini in purpuras ADALBERTI Roſæ efflo reſcunt, trabeatæ ſemper animæ in purpuris natæ ac purpuris, gentilitiâ ſoleâ ſua præcedunt mágis, quam incedunt. GASOWSCIORUM Crux non tam fracta, quam in orbis Lechici commoda diviſa, in Regibus coronas, in CONSTANTINO trophæa cnmulavit: Tribunalitiis ea ſe majeſtate infert Curulibus, ut & Crucem ſcelus paveat & imminutam id eſt mitem amet. Cuſtodit & arcet triumphale JEŁOVICCIORUM propugnaculum, olim Fabiorum, Scipionum, Horatiorum, triumphis patefactum, non tam verticem cælis porrexit, quam trophæa. Ex illo Majore alveo quam ex Delpho Tribunalitia oracula emanabunt. Non unus perſonat orbis Illuſtriſſimum HOSIORUM Nomen; hinc orbem non novit, qui Domum hanc non novit. Cunctis dedit ore rotundo Muſa loqui, Lycurgi in Curia, Tullij inter roſtra, Chryſoſtomi inter aras in ſuis Ceris numerant quo ſtet Orbis vel cui ſuccumbat. ZERZYNSCIORUM Scutum, Patriæ ſcutum, murus & Arma, armare natum, Themidem & ornare, Gravior inde ictus quam ab haſta Telephi, protegere natum ac proterere. Phæbi Nuncius Ales, KARSNICCIORUM Accipiter, tot dedit aris auguria, quot inſedit faſtigia, inde Polonæ Curiæ felix auſpicium, nam ſoleam librans Ales, tollenda docet diſcrimina, non ſiſtenda. Feliciore quam Megarenſis robore in Patriæ ſeſe expendit diſcrimina ZŁOTNICCIORUM Leo, murus eſt, quodcunq; præmunit: Herculeas manus ſi non vi-

tavit

tavit decuit. Hactenus Illustrissimi & Reverendissimi Judices, in vestris Ceris reperit Polona Themis quo niteret, conscendunt jam rostra secures. Ad Tuas Illustrissime & Excellentissime Domine Braclaviensis Palatine Tubas sistor, citatus iisdem & securus. Diem illæ mihi dixerunt, sed qualem & summi optarent & adversa fortuna timeret. Cadunt enim hostes dum illæ canunt, illis audimur terris, mundiq; per aures imus. Dearum olim manibus Poëtarum consecrabantur oraculis, quasi superos quoq; ornaret quod JORDANOS, quibus eodem syderum favore nasci contigit & audiri. Pridem jam Orbis Poloni aures in Vestrarum Virtutum admirationem fama impulit, ita enim virtutibus Curules, Curulibus retroacta implestis sæcula, ut non tam vobis collati fasces, quam Tubarum judicio congeniti videantur. Inde Judices Vos illico dum nati, Orbis aures in admirationem, animos erigitis in obsequia. Ipsum MICHAELIS Nomen, ipsæ trabeæ Palatinæ non minus Te populo eximunt, quam Curulibus Judicum imponunt, Marti Tubis & gladiis, similiorem, quam Judici; sterni tamen ense MICHAELIS scelera sola timent, resurgere ad Tubarum Tuarum clangorem sepultæ leges non desperant. Implebit aram, Justitiæ victima, labe carens Tuus Illustrissime Ravensis Castellane Agnus, ille famem edomat, & florentis ubiq; Fortunæ hæres est. Sidus illum Patriæ dixerim, quo Præduce Polonæ Reipublicæ non fluctuat felicitas, nec tempestatum turbinibus concussa timet naufragium. Senatores & Aurei Velleris heroes sunt, quicunq; suam ZAŁUSCIORUM sideri debent lucem. Inde soliis purpuræ, inde Curulibus decora nascuntur, & cuicunq; fastigio, naturæ magis, quam fortunæ favor, illos invehit, aurei sæculi stamine perennaturam Patriæ innectunt felicitatem. SKORASZEVIORUM litera eam Orbi Lechico inscripsit gloriã, quam legere possunt sæcula, non eligere. Fastis dignum quodcunq; tanto Nomine dignum: inscribunt se illis tituli non indulgent; & Oratorum elogiis nec literas debent, nec merita; characterem hunc quisquis legit æstimat ante. Quanto vero ZŁOTNICCIORUM gloriam Fortuna circumstet robore, solidissimo & plusquam Lydio lapide Leo probat, Leones parturit nomen istud, nec Leones tamen censet quos saxea virtus non duravit.: Lateritias leges si invenerit, reddit marmoreas. ŁETOWSCIORUM divisa sagitta laborum metas præcessit & famæ. vincendo prius nata, quam decernendo; impendit se Patriæ incolumitati, non partitur. Cymba PONINSCIORUM, Argo dixerim, surgit surgentibus undis, obliqua semper tempestati-

bus Patriæ, quas non navigat sed enavigat. Hostili sæpius irrubuit tabo, alterius ignara tincturæ, nisi quam fortunæ color alluit vel hostis fusus. GAIEWSCIORUM ferrum gloriæ Ecclypsim nescit, manum debet Marti non lucem, rubuit sæpius hostili sangvine non erubuit. In quæ non involavit fastigia? quæ non insedit culmina KARSNICCIORUM Accipiter,? Solis ales est, solem intorta accipit pupillâ & refundit, unde soles Polonia numeras, si Accipitrinos. RYCHŁOWSCIORUM Fascia honorũ vinculum est, uno tenet omnia nodo. Nascuntur in hac fascia tituli & perennant, alligantur legum vulnera non stringuntur, adstrictissimus publicæ incolumitati nodus est, quem & hostis sentiret & Alexander non dissolveret. Armatum GRABSCIORUM Caput, armata Patriæ fundit consilia; Vulnera quoq; illorum gladiata sunt, fundunt hostem si sangvinem: totidemq; fontibus Patriæ effluit incolumitas, in quot ꝗe guttas Polonũ istud resolvit capitolium. Surrexisti toties collapsum Patriæ robur VALEWSCIORUM Columna, fatalis hic adversis tempestatibus scopulus, terminalis hosti Columna; non plus ultra processit, quisquis Polonæ libertatis viscera ferro incessit. ROSCISZEVIORUM pretiosi velleris agnus, Tantalica olim coronavit sceptra, purpuras honoribus, cælo auxit sidera, nunc quoq; donat sua tempora libræ ubi Patriarum legum incolumitati immolatur. ŁOSIORUM gloria æquè sua sublimis solea ac felix Crucibus æquè ferro horrida ac Crucibus pia. Ternæ soleam obsident Cruces, vel quod ipsa de tanto Nomine concurrat pietas, vel quod non aliud hisce Judicibus ferrum præterquam pium. Sub CETNERORUM labaro Mars ipse militiam, victoriam censeret, quod quoties explicuit, trophæa legit non victorias. Heroes illi prius quam homines, armati simul dum nati. GORECCIORUM Crux Sagitta, solea, pietatem, celeritatem, firmitatem spondet Themidi, non currunt honorum stadia sed pervolant, in titulis censent esse probos, & Arma quibus Tribunalitios tuentur fasces pietate Duce stringunt KRASNODEBSCIORUM Solea, veteris vestigia recti, orbi imprimit, accedit Majorum Splendoribus & insistit, & postquam per honorum fastigia multa cum luce cucurrit, omne sibi titulorũ iter Cruce connotat. KARWOWSCIORUM Pneuma Patriam sæpius animavit, heroum spiritum vel ipsum nomen explicat, quem toties Patriæ inspirarunt quoties illa suspiravit. Judices prius, quam electi à fascibus ad trabeas à decernendo veniunt decreturi. B[illegible] FOSZEWIORUM Caput, Poloni diadematis decus, fortunæ coronatum favoribus, se ipso Patriam corona-

ronavit. Oraculũ est, quodcunq; illorũ consiliũ; nec decreta hic cudun- tur, sed fundũtur; nam Caput gerere malunt, quam coronã. JARO- SZEVIORUM Solea Polonum surgit robur, calcat ferrum hoc ho- stem non vincit; proterendo illi, in soleam, Poloniæ uuiversæ, in ar- cum flectitur triumphalem. DABSCIORUM Godziemba Magni Nominis Arbor fasces, clavas, laureas, dedit semper Patriæ, vel te- nuit. Perpetuo ubiq; frondis honore viret, ubiq; se in adoreas ex- plicat triumphales. Secura fulminis Polona Aquila, quoties illius se permittit ramis, unde Dodonæo potiora nemore, audiuntur oracu- la. MYCIELSCIORUM Illustrissima Nomina illud habeant elogi- um, quod Polonæ Curiæ oracula paginis mandant & moribus, da- re eadem dignissimi & referre. Tua vero elogia Illustrissima Ca- stellana Voynicienss, Fundatrix munificentissima, non tam ingrato premo silentio, quam æternaturis relego encomiis; stabit nova hu- ius Collegij planta WIERZBOVIORUM Soleâ & assurget. WIL- XYCCIORUM fascia Minimæ Societatis decus & tutamen, peren- nes sibi laudes illigabit, utriq; Nomini encomia literæ dabunt, dum durabunt. Et jam Jllustrissimi Judices in singulis Vestrum Po- lona Themis reperit, quo emineat, unum restat ut manus illas quibus Orbis Lechici reparatis dispendia, in addi- ctissimæ Vestris Nominibus Societatis protectionem ex tendatis. Caput illa suum quo terras & maria, in Divinarum & Vestrarum legum flectit obse- quia, Vestris acclinat Curulibus & tanto- rum Judicum Justitiæ se ipsam reddit devinctissimam.

A. M. D. G.